



Vilhelmus magnæ fortitudinis & integritatis Brunsuicensis dux fuit, anno Christi millesimo quadragecentesimo quadragesimo. hic in Austria ad Fridericum ducem & postea Cæsarem a finem suum protectus, suam ditionem & familiam fratri Heinrico commendauit. Eo tempore Philippus Burgundus cum Carolo Gallo bellum gerebat, atque à Friderico Austriaco auxilium petebat. Itaque Fridericus suum affinem Vuilhelmu[m] copijs præfecit, atque cum exercitu in Galliam abegauit. In eo loco res multas fortiter peregit, ac uictor in Austria rediit. Interea Heinricus eius frater arcem Vuolffenbeutel dolo occupauit, atque uxorem & liberos Vuilhelmi expulit. Id cum Vuilhelmus intellexisset, contra fratrem exercitum duxit, atque magno animo sua recuperare statuit. Verum finitimorum principum interuentu res tum fuit composita. Postea quoque Brunsuensem ciuitatem puniuit, atque tandem cum septies in prælijs uictor extitisset ubique pacem constituit. Fuit is uictoriosus princeps, qui suam ditionem plurimum extulit, ac quatuor comitatus Eberstein, Vunsdorff, Haller mund, & Vuelpe ducatui adiecit. Cum hoc modo longo tempore præfuisset, tandem anno ætatis 90, & salutis nostræ 1482 obiit, & filios Fridericum & Vuilhelmum successores reliquit. Albertus Crantz.  
in Saxonia lib. 12. cap. 31.